COOPER MEDICAL COLLEGE
San Francisco, Cal.

THROMBOSIS PUERPERALIS EXEMPLA DUO NARRANTUR ET DIIUDICANTUR.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

PUBLICAT AUCTOR

DR. **AUGUSTUS HARWART**,

BORUSSUS ORIENTALIS.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLXVII.

THROMBOSIS PUERPERALIS EXEMPLA DUO NARRANTUR ET DIIUDICANTUR.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

PUBLICAT AUCTOR

DR. AUGUSTUS HARWART,

BORUSSUS, CRUCIS PALIS.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. RUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLXVII.

Historia morbi casus primi.

Gustava G, mulier Stralsundensis undequadraginta annos nata duos iam ante hunc, quem narrabimus, partum infantes pepererat. Die XXV. Nov. hora quarta rursus puellam eamque haud difficulter edidit. Omnino partus fuit lenis ac celer. Adhibita palpatione dextra in abdominis regione partes foetus magnae inveniuntur nec minus auditur ibidem pulsus foetalis; digito per orificium uteri immisso, sutura sagittalis manibus explorari facillime potuit eaque oblique dimetiri, qua ex re alter capitis situs definitus est; atque proximo quidem temporis spatio quum orificium uteri paullulum apertum esset, tertia denique hora doloribus crescentibus, dilatatio uteri orificii completa fuit ac paulo post membranis, quibus involutus est foetus, diruptis foetus emissus est, quem placenta sine difficultate mox secuta est.

XXV. Nov. mane Temp. 37,6. Puls. 76. Puerpera sese habet bene, urinae copia redditur.

Vespere. T. 37,8. P. 80. Dolores, qui sequuntur partum haud magni sunt, infantem ex lagena opus est nutriri, quod a puerpera propter glandulas minimas mamma dari non potest.

XXVI. m. T. 39,1. P. 116. Hac nocte puerpera algore, postea aestu permagno quum vexata esset, tantum per vaginam perdidit sanguinem, ut cruore et sponda inundaretur et humus tota impleretur. Uterus magna firmitate, parva sensibilitate est; huc accedit, ut dolores acres in nervi obturatorii regione exstent.

V. T. 37,9. P. 87. Praeter alia dolor in crure valde crescit.

XXVII. m. T. 37,8. P. 80. Hodie dolores in crure iterum aucti sunt et praesertim sentiuntur prope venas usque ad malleolos, venae ipsae totaque tumescit extremitas, nec minus femur dextrum.

V. T. 40. P. 126. Tempore meridiano puerpera acri cordis actione oppressa ex capite laborat, qui dolores post meridiem paullatim deminuuntur ita, ut vespere satis bene sese habeat aegrota.

XXVIII. m. T. 40,6. P. 136. Per noctem puerpera somno longiore recreata est, lochia cruenta ac serosa, abdomen parva sensibilitate, at contra crus sinistrum summa sensibilitate ac tumore est affectum.

Mane iterum exsistunt algores conquassantes; venae omnes quum firmitate tum colore insignes sunt sordido atque livido. Cataplasmata ad illud malum amovendum adhibentur.

V. T. 40,4. P. 132. Puerpera meliore gavisa est valetudine, dolores in crure iidem sunt. Quod attinet ad tranquillitatem puerperae, coma existimanda est.

Datur: Chin. sulph. gr. vj pro d. et mixt. acid. sulph. ad potum.

XXIX. m. T. 40,5. P. 136. Puerpera plena somni interrogata tantum conqueritur de doloribus in pede, quem sanguine et spiritu quasi carere putat. Dolores ipsi non tam graves quam antea sunt et in ipso tactu solo animadvertuntur. Partes, quae circa iacent, insensibiles, lochia serosa atque cruenta videntur. Venam iliacam morbo affectam esse nullo modo cognosci potest, nec venas glutaeas Thrombos iam continere. Faeces perfluidae coloreque citri videntur.

Datur: Tct. opii simpl. gtt. xv.

V. T. 40,4. P. 136. Oedema omnibus in partibus parum auctum in vulvam ipsam transiit. Dolores, qui deorsum haud procul ab malleolo int pertinent, iam infra istum locum animadverti possunt, ac rubeus nummi parvuli instar cutis color in osse cuneiformi primo ostendit thrombosin, nunc etiam illo loco exstare.

XXX. m. T. 40,6. P. 138. Prima nocte deliriis aegrota vexatur. Frigida parantur fomenta; at prima luce liquidae oriuntur flavaeque faeces, ex quo tempore in malleolo quoque externo ruber multoque dolore affectus locus inveniri potuit, ac, reticula venarum, quae supra phalanges spectant, ve-

nasque externi atque interioris cruris lateris coniungunt, parvas quidem rubrasque maculas easque dolore minimo affectas praebent. Urina continetur albumen.

Datur: morph. acet. gr. $^1/_4$.

V. T. 40,8. P. 144. Puerpera comate et sopore oppressa aegre potest excitari. Uno loco partes molliuntur nec procul absunt a diruptione.

XXX. m. Pulsus est anomalus, facies rubra, oculi occlusi, labia spuma, sanguine, crustis tecta, sensorium oppressum, vix tactu vel compressione pedis vultum aegrota et oculos prae doloribus distorquet. Reactio pupillarum fere iam nulla, strabismus convergens exsistit. Musculi flexores in contractione continua perseverant, faeces invita puerpera deiiciuntur. Nihilominus cor atque pulmones immutata sunt.

Vespere in thorace magni et flantes strepitus audiuntur. Oedema adest pulmonum, exitus instat letalis.

Obductio.

Corpus macie confectum, cutis tegumenta laxa, cutis ipsa flavo colore affecta est. Mortis rigor totum per corpus patet, mammae magnitudine sunt mediocri. Abdominis tegumenta vehementer tumescunt ac multis sunt cicatricibus puerperalibus cooperta. Crura adducta, livide tincta, tela celluraris trigoni inguinalis firma est. Sinistro in crure pustula ovuli magnitudine, vasaque colore insignia atque imbibitione videri possunt. Pes sinister tetano

quasi extenditur, labium pudendi sinistrum tumidum aeque ac vulva ipsa. Vaginae introitus exsudato tectus est sordido, mucosae vasa refertissima, vagina ipsa colore fusco est et caeruleo. Pupillas porro videmus dilatatas, faciem flavam itemque coniunctivam bulbi, telam subcutaneam in abdomine repressam, in thorace autem raram. Sectione in crure facta totam per extremitatem tela cellularis oedematosa completa est infiltratione, quae res planissime perspicitur in glandulis inguinalibus. Ex superiore mediaque venae saphenae parte materia sordida ac fusca effluit. Vasorum parietes tanta sunt mollitie, ut in extensione dirumpantur. Thoracis in situ muscularis relaxata est et tumida, colore fusco. Et in dextro et in sinistro latere diaphragma inferiorem costae quartae marginem petit, costae ipsae ossificatione sunt insignes. Ex omnibus quae dissecantur vasis eadem effluit materia, atque si descendimus in mollium partium inferiorem locum ad plura venimus antra, quae omnia eadem sordida materia impleta sunt, quorum quidem origo pertinet ad vasa lymphatica. Venae ipsae ob permagnam illam mollitiem vix possunt praeparari.

Sed ut veniamus ad venam saphenam maiore quam solito est lumine atque sectione eadem turbida et fusca materia, quae maxime apparet in inferiore parte cruris. Omnia, quae diximus de illa vena saphena et in vena femorali reiterantur; omnino tumescunt arteriarum tunicae oedamate. In arteria femorali usque ad poplitem niger ac spissatus cruor

inveniri potest, cui multae adhaerent particulae steatomatosae, intimae superficies cruore est imbibita. In venae femoralis inferiore parte, quae nihil nisi sanguinem continere videtur sine coagulationibus, varicosae nonnullae dilatationes, nec tamen in valvulis usque ad ligamentum Poupartii coagulationes animadvertuntur. At contra in vena iliaca communi usque ad introitum venae cavae recentes ac molles exstant cruoris abscessus. Intima v. iliac. multo imbuta est sanguine. In laeva genus articulatione synovia parum fluida, articulationis capsula non mutata videtur.

Dissecantibus nobis illam quam supra commemoravimus pustulam, haud procul a venae varice abesse et pari modo completam fusca illa et sordida materia apparet. In vena cava et spermatica dextra parum fluidi sanguinis invenitur.

Dum cor ordinariam habet magnitudinem et languidum est, in magnorum vasorum prolongatione imbibitio cadaverum instar perspicitur atque in ventriculo laevo parum sanguinis fluidi, in atrio ictericam coagulationem videre licet. Dextro quidem atrio parum sanguinis fluidi atque nonnullae coagulationes continentur. Musculi, ut solent in cadavere obtriti sunt, valvularum apparatus nihil ostendit a lege discedens. Aorta lumen habet a natura destinatum, dum intima sanguine imbuta est imprimis prope valvulam.

Pulmo sinister vastus est et languidus, lobus inferior atelectasia, posterior haud minime hypostasia,

superior quum multo aëre tum parva sanguinis multitudine est completus. Persecto illo complures conspiciuntur parvi, flavi caseo similes nodi. Evadit ex broncho simulatque comprimitur secretum spumosum et satis multum; bronchi, ut fert natura dispositi sunt, mucosa parum rubefacta est.

Pulmo dexter cum pariete costali cohaeret, sed facile dissolvitur, in superiore quidem lobulo. Persectus lobulus inferior atelectasiam satis perspicuam, medius contra hypostasiam ostendit, superior, qui parum sanguinis continet odematosus est. In posteriorem partem versus magnam et venosam obstructionem videre licet. Obstructiones arteriarum pulmonum nusquam animadvertuntur.

Cranii tegumenta tenuia, diploes sine multo sanguine et pellucidae sunt. Vasa durae matris satis completa, desunt autem glandulae Pachyonicae. In sinu longitudinali parum vides sanguinis fluidi, internam durae matris parietem in laeva parte flavo conspicis et facile removendo exsudato tectam. In dextra autem durae matris parte eadem etsi paullo infirmior cernitur dispositio. Superficies cerebri decolor est; in spatiis subarachnoidalibus multum, fluidum, flavum exsudatum habes, quod et in vasa et in sinus propagatur. Venae magnae admodum completae, atria rubra commixtoque sunt colore. Deprompto cerebro in anteriore aeque atque in posteriore fovea nullus ostenditur effluxus, contra invenitur turbidi exsudati multitudo in canali spinali. Cutes molles in inferiore parte, praecipue in vermi

inferiore in Ponte, Chiasmate, fossa Sylvii turbido, et floccoso exsudato sunt tectae. Et sinister et dexter vertriculus lateralis aliquanto molliores quam in corpore sano non parvam multitudinem seri liquidi continent; plexus laterales pallidi, vasa magna sanguinis copia completa, tela chorioidea tumidissima est et exsudati plena. Tertium cerebri antrum non mutatum esse videtur. Dissecanti ex laeva hemisphaera cerebri sanguis niger profluit, grisea substantia est pallida, imprimis, ubi tunicae plenissimae exsudati sunt. Dura mater et in inferiore et in posteriore parte magna copia fulvi et densi exsudati repleta est.

Intestina flatibus naturalibus aliquantum extenta sunt et rava. Omentum omni privatum est pinguedine et valde retractum. Uterus latitudine duorum digitorum superat symphisin. Ventriculus valde collapsus est. Hepar trium digitorum latitudine inferiorem costarum marginem superat.

Lien paulo maior quam solet, laxatus, mollis, cerasorum rite coloratum, pulpa facile exprimi potest. Totum fere organon putrescit.

Vesica urinaria valde contracta est et utero compressa; continetur ea parum turbidae et fulvae urinae.

Vaginae mucosa decolorata et flavis pannis cooperta est.

Uterus patefactus floccosam et decoloratam materiam secernit, mucosa ubique deleta, locus ille, quo antea fuit placenta in posteriore et superiore

parte exsudato adhaerente decoloratus est. Parenchyma totum molle funditus devastatum est exsudatis.

Iuxta ligamenta corporis lutei dissecti sordida fuscaque profluit materia.

In sectione portionis vaginalis vasa purulento carent infiltrato. Infiltratum purulentum dextrae partis cum maiori foco subter laevam partem coniunctum est, nec minus ligamentum ovarii inter illud et tubam infiltratione non caret magna.

Iis, quae continentur ovariis remotis, etiam in hoc lovo antra inveniuntur inusitata, quae vasa lymphatica esse satis constat. Inspicientibus nobis laevam partem, quae sita est inter tubam et ligamentum ovarii, locus apparet quidam decolor.

Ovarium dextrum magnum laxum, multis cicatricibus impletum videtur. In sectione parenchyma est oedematosum, corpus luteum in posteriore parte situm centralibus albisque maculis adspersum est. Canaliculorum forma lymphatica apparet. Cavum uteri longitudine est quatuor digitorum. Ren laevus magnitudine solita, capsula facillime discindi potest, substantia corticalis decolor est; vasa accedentia haud impleta, calix et pelvis non nihil dilatata, mucosa parum rubefacta est. Glandula suprarenalis sinistra atque dextra minima mollissimaque, similiterque res sese habet in glandula suprarenali dextra.

Mesenterium nulla insigne est pinguitudine, ventriculi mucosa insularum modo tumescit.

In duodeno magnam flavi muci copiam videre licet; quamquam mucosa, quo loco reperitur ductus

choledochus, tumore affecta est, tamen fel impressione quadam facta non retinetur. Supra orificium parvus ut granum milii nodulus albis, pellucidis, prominentibus maculis affectus apparet.

Pancreas est magnum laxum sordido ravoque colore.

Atque in hepate quidem ubique animadverti potest, partes omnino putescere ac labefieri.

Vesica fellea completa est felle flocoso, ravo, turgido.

Diagnosis anatomica.

In vena saphena ab articulatione pedis sinistri usque ad venam femoralem puriformum videmus et dilutum thrombum, porro Lymphangitidem et Lymphadenitidem cruris sinistri, uterum diphteritide affectum, lymphangitidem ligamentorum latorum, deinde lymphangitidem utriusque ovarii, cor laxum et non nihil adiposum, Oedema pulmonum, insignem denique exsudativam meningitidem cerebrospinalem.

Historia morbi casus alterius.

Wilhelmina E. viginti quatuor annos nata die XXVIII Octobris anni 1866 primo peperit, et quidem, etsi medici auxilio caruit, maxima difficultate. Partu facto magna sanguinis copia ex genitalibus profluxit modo aucta modo minuta cum vehementia. Octo horis post, fomentis frigidis in abdomine diligenter applicatis sanguinis tandem profluvium inhibitum est. Quum igitur puerpera ob mul-

tum sanguinem amissum complures per dies torpesceret, mammas dare infanti non potuit, qui nihilominus optime valuisse dicitur. Quatuor fere diebus post inferiores coeperunt tumescere extremitates, qua in conditione aegrota febri aestuque iactabatur. Nec paulo post ille, quem diximus, tumor in alvi quoque tegumenta transit. Imbecillitas puerperae hac re in dies augebatur ita, ut nosocomio nostro curanda a propinquis traderetur.

Status praesens.

XX. 11. 66. Mulier aegrota summa est debilitate atque macie prorsus confecta, anaemia eius summa genae pallidae, faciei color flavus, cutis tegumenta perlaxa sunt. In extremitatibus inferioribus oedema duplo est auctum, tumor alvi umbilicum contingit. In sinistra epigastrii parte, quod efficiebatur cubitu oedema maxime accumulatum est ita, ut alvus tumoris instar permagni in sinistram partem descendat. In femoris inferiore parte ab articulatione genu usque ad eum locum, unde sartorius in posteriorem cruris parietem perducitur, durus quidam laqueus animadverti potest, qui quum ex loco, quo extenditur, tum ex tumidis extremitatibus venae femoralis thrombosis cognosci potest. Thrombos in latius usque ad venam cavam pertinere ex signis extrinsecus petitis demonstrari nullo modo potest. Urinae secretio eadem fere est quantitate et qualitate, atque in corpore sano. Dextra in extremitate palpatione thrombosis non cognoscitur. Tumoris

circuitus sinistri cruris multo maior est quam dextri. Nihilominus puerpera doloribus non vexatur, quamquam extremitates ita sunt morbo affectae, ut vix possint moveri. Perscrutanti organa interna catarrhus pulmonum levis, lien accumulatus agnoscitur. Abdominis organa accuratius perscrutari ob magnam oedematis dimensionem haud facile est.

T. 37.4. P. 80.

Therapiae initium factum est ferro, (red. gr.xx p. d.) in extremitatibus involutione accurata, quare iam proximis diebus tumorem esse deminutum constat.

XXII. 11. Puerpera vexatur frigoribus, quibus per horae spatium iactatur. Atque eodem die febris remittitur, contra proximo die eodem fere tempore, tertio sex horas post exsistit.

Datur: Chin. sulph.

XXX. Aegrota, quod ferro hydr. red. bono victu, balneis effectum esse videtur, melius sese habet, quam antea, nec minus crurum oedema linamentis fere sublatum est ita, ut in utraque parte malleolorum solorum animardverti possit.

IV. 12. T. 37 — 38. P. 80 — 100. Puerpera quum faecibus larboret fluidissimis in statum illum miserabilem, quo fuit antea mox reiicitur; huc accedit, ut febris illa perniciosa reiteretur in dies. Quae varia atque dubia valetudo perdurat octo per dies, quo tempore summa cum frequentia et vehementia oritur febris. Puerpera valde fatigata saepissime dormitat, quamvis nulla ex parte

laborare sese queritur. Thrombus palpatu difficilis est propter oedema magnum.

XVI. Puerpera rursus iactatur febri et aestu permagno ita ut temperatura diebus XL, I summos ad gradus ascendat. Qua cum re mediae sinistri femoris partis coniungitur tumor atque is praecipue adest illo loco, quo prius thrombosis erat perspicienda. Cui tumori iam vespere additur rubor quidem acer, qui digiti compressione evanescit. Postero die rubor ille ac tumor aliquanto aucti a digitis patent usque ad genu. Cutis stricte intenta, tumoris consistentia mollis, in origine eiusdem pustula permagna exorta est. Incisione facta ibidem quadrans paene serosi purulentique fluoris effluit. Quamvis illa incisio facta esset, proximis diebus cutis denuo astricta firmaque apparet, eaque tanta quidem attractione perseverat, ut partim iuxta locum, quo modo facta est incisio, nova exsistat pustula, partim in plantae dorso incisiones renovari necesse esset. Partes molles in locis demissis sitae plane necroticae esse videntur ac materiam parant sordidissimam. Therapia adhibetur balneis atque cataplasmatis, quo facto phlegmone diffusa regredi videbatur; granulationum formatio nihilominus non est animadvertenda. Quod attinet ad temperaturam et pulsum, magnitudine privata sunt priori, nec tamen confirmata est aegrota.

XXVII. Puerpera denuo frigoribus vexata de ictibus in sinistro pede queritur; praeterea cruciatur dyspnoë ac tussi acri, quam sputa concomitantur

rubra. Percussione et auscultatione facta superioris et medii pulmonis dextri lobi Pneumonia declaranda est. Therapia pro debilitate puerperae nulla alia fuit, quam excitantium remediorum.

XXXI. 12. Oedemate pulmonum exorto exitus fuit letalis.

Obductio.

Corpus macie confectum, oris color flavus est, labiorum et oculorum mucosa valde pallet. Mammae tabe consumtae, area pupillaris infurcata est. Abdominis tegumenta laxata colorem praestant canum ac sordidum multasqua exhibent graviditatis cicatrices. Vulva plane patet. Genitalia secreta nulla exhibent. In crure dextro prope surae internam partem substantia detrimentum longitudine octo digitorum patet. Margines illius detrimenti acriter partim determinatae granulationes nullas ostendunt. Fundo continetur sordida quaedam ac purulenta substantia. Super vulnus continuatio incisionis cuiusdam conspicitur eademque cernuntur in parte anteriore et exteriore, quae specillo introitum praebent quatuor vel quinque digitorum. In dorso pedis vulnus exstat duorum ac dimidii digitorum usque ad tres et dimidium digitos in circuitu, quod aequalem exhibet materiam, quam vidimus supra. Tendines ac musculi plane apparent sordida impleti mole. Pes oedemate modico affectus est, regio ossis sacri levem praebet decubitum. Rigor mortis extremitatem supe-

riorem omnino discessit, inferiores parum complectitur. Tela subcutanea paene evanuit, musculi parum exculti colore sordido, pallido, cano sunt. In dorso maculae inveniuntur quaedam mortem significantes. In costarum cartilaginibus summa inest ossificatio. Aperto thorace pulmones vix retrahuntur. Cor magnitudine solita, praeterea laxum est et remissum. Atrio in sinistro parum fluidi sanguinis mollesque insunt coagulationes, in dextro res est eadem, quae quidem transit in ventriculos.

Pulmonis sinistri, cuius marginibus adhaeret mediocre emphysema, lobus superior oedemate imbutus, inferior Pneumonia infiltratus est; at contra in pulmonis dextri lobo superiore infiltratio passim dispersa, satis firma, in medio oedema, in posteriore infarcta haemorrhagica animadvertuntur. Inferior totus lobus plane obtinetur flava quadam infiltratione pneumoniae.

Intestinorum crassorum tractus mediocri pleni sunt tumore, colon formam circuli sequitur, ut ansam umbilicum petentem; ceteroquin satis completi cybalis sunt.

Ventriculus aëribus tumescit. Ren sinister solito minor, tunica adiposa evanuit. Capsula fibrosa praeparari facile potest. Substantiae corticalis anaemia maxima est. In colo et ascendente et caeco adhaesiones animadvertuntur a norma dissidentes.

Ren dexter eadem fere qualitate est ac sinister.

Intestini mucosa excepto rubro quodam colore ac tumore nihil affert novi.

Iecur mollissimum est. Vesicae felleae mucosae degeneratio adhaeret adiposa.

Vesica urinaria mediocriter contracta parvam urinae turbidae copiam secernit.

Vaginae introitus vastus est; orificii forma fissurae, canalis cervicalis eadem magnitudine multum sercernit muci, uteri mucosa rubefacta in anteriore latere sanguinolentum ostendit locum.

Ovaria solito minora, ac paene mortua sunt. In inferiore cavae venae inferioris parte invenitur Thrombus, qui parietibus bene affixus paene labefactus est. In vena iliaca communi dextra thrombus inveniri potest inveteratus in venam iliacam externam nec minus in v. hypogastricam porrectus. Hunc quidem thrombum persequi potueris in vena femorali usque ad dimidiam partem femoris, unde confluit tumore quodam. Venarum tunicae cutes crassitudine sunt maiore; solito sub ligamento Pauparti prope venam infusio quaedam purulenta inveniri potest. In vena spermatica dextra parvus quoque thrombus discerni potest, qui parietibus petulanter adhaeret.

Prolegomena.

Historia Thrombosis veterrima est; repetitur enim usque a saeculo sexcentesimo, quo tempore iam Volcher Coiter in plurimis libris de hoc morbo disseruit. At vero nostra demum aetate perscruta-

tione et disquisitione anatomica, quae a professore Virchow facta, constitui plane potest, quomodo thrombus exoriatur, quique sit eius eventus, quum manifestus sit. Sententiarum, quae antea obtinebant de hoc morbo et a plurimis viris illustrissimis accipiebantur praeclarissimae sunt phlogistica et dyscrasica.

Gravissimus prioris sententiae auctor est John Hunter*), quem post excepit Cruveilhier**).

Uterque thrombum exsudato quodam a vena inflammata secreto oriri docuit. Hanc ipsam sententiam accipiens nec minus excolens Piorry, quem nonnullis in rebus sequitur Rokitansky, ad alteram pernevit sententiam, scilicet thrombum exsistere dyscrasia sanguinis Atque multi quidem medici in hanc, plurimi in alteram sententiam discedunt. Denique certaminibus literariis multis ac permagnis exhaustis Laennec, John Davy, Bauchut aliorumque virorum doctorum auctoritate effectum est, ut tertia atque optima de origine huius morbi sententia acciperetur, thrombum sanguinis coagulatione spontanea oriri. Thrombosis igitur, ut illam ingrediamur sententiam, obstructio dicenda est, quae sanguinis fluidi coagulatione in vasis efficitur. Thrombus id quod saepissime fieri solet aut ex pariete

*) John Hunter, Observations on the inflammation of the internal coats of veines. London 1793.

**) Cruveilhier, Recherches sur le siège immediat de l'inflammation.

exire potest aut pertinere per omnem, qui continetur vasis, sanguinem atque id quidem per longitudinem.

Si primum accidit, proiecturae quaedam venae intimae locus iniquus vel corpus aliquod alienum, ut ex analogia aneurysmati medendi perspicuum fit, haud minima sunt momenta ad sanguinem coa gulandum apta. His iniquis partibus quum fibrinum inhaerescat paullatim novae portiunculae affiguntur, qua in re fibrinum coagulatum illud quod nondum coagulatum est, Virchow*) autore, attrahere videtur.

Talis porro thrombus primum quidem vasorum canalem angustum reddit, occlusione iam deficiente, quare parietibus illum affictum dicimus. Deinde in dies crescens denuo coagulationes attrahit ita, ut omne denique vasorum lumen conclusum appareat, et hunc thrombum obstruentem lumen vocamus. Causae, quae idoneae sunt ad thrombum efficiendum, variae sunt ac multae; attamen longum est, has omnes acuratius enarrare et discutere, quam ob rem breviter praecipuas huc afferre satis esse nobis videtur. Sunt fere hae: separata continuatio, compressio vasorum, retardatio sanguinis, cordis pulsu debilitato, commutatio sanguinis ipsius et degeneratio, ut videmns saepissime in Cachecticis, Phtisicis, iis, qui morbo gravi atque longo confecti erant, quorum in numero referendae sunt puerperae, denique gangraena vel inflammatio et mala vasorum

*) Virchow, Handbuch der Path. und Therap. B I.

cutis conditio vel corpora aliena vasis inclusa. Thrombi illi, qualicunque exorti sunt ratione alius alium habet finem. Nam et potest dissolvi ita ut resorptione evanescat et additis incrementis auctus vasa obliterare, quod quidem infausti est momenti, nisi si cursus collateralis restituatur, deinde accidit, ut partes thrombi separatae congestione ac turgore sanguinis proluantur, qua via ad cor dextrum et inde in pulmonales proveniunt arterias, quo loco capillaribus obstructis gangraenae possunt esse causa pulmonis; potest porro thrombus omnino dilabi ita, ut tota sanguinis copia putrescat. Quo quidem in casu agitur de Pyaemia, quae quum saepissime tum in nostro primo casu puerperalem secuta est thrombosin.

Iam vero satis de thrombosi generali disputasse me ambitror, pergamus nunc ad describendam thrombosin puerperalem venarum vel ad explicanda duo morbi exempla supra commemorata.

Aetiologia.

Quod omnino attinet ad puerperalem thrombosin, iam nulla re quam utero pelvis vasa premente itaque sanguinis circulationem retardante thrombosis exsistere potest. At si consideraverimus, quam raro homines hoc morbo affligantur, prae illa re, quod vasa pelvis plus minusve in partu ipso aut iam ante partum comprimuntur, concedendum nobis erit, dubitari posse. Alia autem est res si in partu aut paulo post partum magna sanguinis copia profunditur,

quae res reliquiis placentae abruptis aut ob alias causas, haud raro evenit. Tum uterus aut nihil aut tam parum contrahitur, ut in illa magna parte placentae, sanguine coagulato, tum maior tum minor exsistat thrombus. Praeterea frequentes perfrictiones, matura consurrectio, labores diversi puerperarum thrombosis causae vocantur, nihilominus afferri non potest, quomodo ex iis gravis ille morbus exsistere possit. Lebert*) autore thrombosis puerperalis qualitate quadam sanguinis prava, coagulationi favente aut mutatione quadam cordis actioiuis efficitur. Quod si verum est, qualitatem circulationis in femoris et in pelvis vasis post partum prodesse negare non possumus.

Winkel**) porro duo genera Thrombosis puerperalis esse dicit et epidemicam et sporadicam, quarum unam simul cum endometritide et perimetritide accidere putat, alteram in duas dividit species: in thrombosin et dilatationis et compressionis. Itaque si hanc sequimur opinionem, nostra duo exempla priori tribuenda sunt generi, quippe quum magnis sanguinis profusionibus utroque in casu, in altero celeriter, in altero paulo lentius morbus ortus sit. Quaeritur igitur quomodo illa tam celeriter aparens Septichaemia puerperae G. sit explicanda. Qua in re certam scientiam nobis deesse apparet; ergo nihil aliud nisi opiniones afferre atque ex iis

*) Lebert, Ueber Krankh. d. Venen. (Virchow's Arch.)
**) Winkel, Pathol. u. Therap. des Wochenbetts.

coniecturas ducere possumus. Aut iam prius in thrombo aliqua fuit materia, quae ruinae favebat celeri aut necesse est, parvas reliquias placentae aut membranarum, quibus involutus erat foetus dilabefactas pus in sanguinem transduxisse atque Septichaemiam effecisse. Thrombosin compressionis adfuisse ex anamnesi non elucet, quod utraque puerpera sine medici auxilio peperit itaque omnes aliae manipulationes, quae contusionem vel distorsionem vasorum pelvis efficere possunt, non factae sunt.

Anatomiam Pathologicam quaerenti ea, quae de sectione relata sunt sufficere debent, in qua omnes attulimus notas thrombosis puerperalis. Nihilominus alia fere in alio exemplo signa sunt, quae omnia enumerare longum est, praesertim quum non in animo habeamus diligentius disserere de complicationibus fortuito allatis.

Symptomatologia.

Symptomata thrombosis, quod iam nostra duo exempla ostenderunt, valde sunt diversa. Exempli gratia thrombosin venarum puerperae sine ulla gravi perturbatione et periculo pati possunt ita, ut Symptomata nihil aliud possint referre, nisi molestiam quandam, pulsum mediocriter frequentem, aestus gradum aliquanto maiorem. Quod Lebert auctore semper fieri solet, nisi complicationes morbi formam mutantes accedunt. Saepissime dies, complures immo hebdomades intersunt, priusquam prima

morbi symptomata animadvertuntur, sed nihilo minus saepe primus partus est initium morbi, quin etiam iam multo ante partum in praegnantibus thrombosis demonstrari potest. Plerumque, ut in nostra puerpera E. initio morbi in regione illius venae obstructae plus minusve doloris animadvertitur, quocum coniuncta esse potest febris. Si cruralis vel una ex maioribus venis obturata est, simul cum obstructione tumor extremitatum, qui, si Thrombosis usque in venam iliacam extenditur, ad alvi tegumenta quoque pertinet. Illud oedema dolorosum, quod hac in forma solum est parturientium, ab auctoribus phlegmasia alba dolens vocatur. Atque ad illum morbum declarandum doctrinae inventae sunt monstruosae. Exempli gratia Meauriceau eum metastasin lochiorum esse dicit; alii, ut Sachtleben, Levret, metastasin lactis in pedis putaverunt, praeterea sunt, et in his Davies, Robert, qui Phlebitidem, nonnulli denique qui Lymphangitidem esse dixerint. Hodie phlegmasia alba dolens phlegmonosus extremitatum morbus habetur ex venarum thrombo plerumque ortus, quem quidem sequi potest aut antecedere alius morbus. Ut iam antea diximus phlegmasia alba dolens si oritur sola, raro gravi coniuncta est febri. Fieri quidem semper solet, ut singula pracedant frigora oedemati cruris: deinde oedema crescit, totam complectitur extremitatem praecipueque in molleolis valde excultum est. Causam autem huius oedematis exitu fluoris serosi vasorum, exorta venarum hyperaemia, in telam cellu-

losam et intermuscularem et submucosam facto, constare nemo est, qui neget. Quae quidem res facilmne circulatione collaterali restituta tollitur. Tum quoque venae obliteratae illae ut laquei duri animadverti possunt. Huc accedit, ut dolor quidem cursum obtinens nervorum sentiatur, ut videmus in exemplo primo, quo G. aegrota semper in obturatorio nervo ipso summis affecta erat doloribus. Quod ad valetudinem generalem attinet plurimum quidem valet febris, quae initio vehemens, tum leniter aliquanto esse, denique intermittere solet. Iam maximam in partem antequam tumor labefactus est febris conquiescit. Verum haec hactenus. Longe res est alia quum alii ac graves morbi cum thrombosi simplice complicentur. Sunt enim tunc praeter cetera frigora conquassantia, quae quidem multa, sed brevibus intervallis pertinaciter repetuntur; deinde gravis febris, cuius temperatura esse potest 40°, cuiusque pulsus summus. Nec fit raro, ut permutationes exsistant in renibus, qui degenerati albumen secernunt: huc quoque referendae sunt abcessuum formae cutis aliarumque metastasium genera diversissima, quarum quidem mentio facta est in G. morbi historia. Quod ad victum attinet longum per tempus facere potest, plerumque tamen fit, ut tales mulieres anaemia afficiantur eorumque valetudo mature corripiatur. Phlegmasiae albae docentis exitus partim finiuntur diffusione, partim aliae accedunt complicationes et in iis potissimum erysipelas, quod sequitur saepissime omnis extre-

mitatis gangraena. Nec minus saepe accidit, ut Septichaemia sit causa mortis (cf. hist. morb. G.). His verbis postquam eventum simplicis thrombosis puerperalis enarrare conati sumus ad alterum exemplum venimus, scilicet ad exponendum morbum puerperae G., qui optimum nobis thrombosis puerperalis casum affert, comitantibus gravissimis complicationibus phlebitide, lymphangitide, endometritide, diphteritide, abscessibus metastaticis. Hic quoque noster morbus, quamvis graviter processisse videatur, plerumque motiunculis, dolorum ex capite symptomatibus incipere solet. Deinde in valetudine confirmata exoritur frigus vehementissimum, sequentibus aestu arido pulsuque febrili. Et primae quidem tunc mutationes sunt uteri, ubi Endometritis vel Perimetritis plerumque exsistunt, tegumenta abdominis extenduntur, uterus solita maiori duritia est, tactus nihil sentit, lochia insuavem habent odorem, seroso sanguinis colore. Tamen fieri potest, ut aegrotae melius sese valere putent, vegetae videntur, cibos appetant, donec iterum iterumque frigus eas conquassans opprimat, quo prosus et affliguntur et conficiantur. Iam vero occurrit albumen in urina, diarrhoeae exsistunt, accedunt abscessus lymphatici pus continentes malum ac tabem. Ordo horribilium illorum symptomatum conficitur abscessibus pulmonis, qui insignes tussi, dyspnonë, respiratione frequenti plerumque imminentem exitum letalem indicant. Häec feré est morbi effigies, quo G. puerpera confecta est. Quum thrombus venae saphenae puriformiter

detumesceret, quod quidem iterum a pede ad eum locum factum est, ubi influit incruralem v. paullo post sanguis tabe corrumpebatur, unde deliria coma, secretiones putidae vagina, faeces sordidae Lymphangitidem, quam in obductione comemoravimus, ut semper fieri solet, tabe infusa in vasa lymphatica ortam esse contendere possumus, difficilior interpretatu est icterus, in ultimo morbo apparens, quare utimur interpretatione Virchovii, qui hepate ortum naturae impedimentis in Portione intestinali ductus choledochi genitum eum affirmat. Celerem exitum morbi non est cur admiremur, quum complicationibus, quas modo commemoravimus haud longo temporis spatio meningitidem cerebraspinalem additam videamus.

Diagnosis.

De diagnosi iam agitur obstructionum puerperalium, quarum primi habentur nuntii dolores in partibus affectis, deinde perturbationes gastricae non sunt praetermittendae, denique accedens illud oedema maximi est momenti. Postea quum tumor diminutus est, palpatione venas obstructas ut firmos crassosque laqueos tangere licet; qui quidem tactus, si phlebitis adest, ut in G. puerperae exemplo summos afferre potest dolores; nec minoris momenti ducendus est color venarum fuscus quidam et caeruleus. Sed ut redeamus ad ea, quae maxime valent ad diagnosin, ad oedema, illud quidem optime indicat quoad et ad quae vasa pertineat thrombus. Itaque quum E. puerperae odema etiam in alteram

transiret extremitatem simulque tegumenta abdominis in dies oedemate magis infiltrarentur, thrombum a v. crurali in iliacam, quin in v. cavam esse diffusum licuit diiudicare. Oedema simulatque evanescit, nihil impedit, quominus thrombi resorptionem aut sanguinis fluxionem collateralem esse restitutam arbitremur. Quod quidem attinet ad diagnosin differentialem eam quoque regionem, in qua thromboses puerperales saepius solent exsistere, haud negligendam esse contendo. Nec vero, utrum de oedemate solo an de morbo Brightii agatur dubium erit, si consideramus, in eodem morbo Brightii iam ante partum oedema aut in urina albumen futurum fuisse. Venimus iam ad diagnosin magnarum illarum complicationum, quae nostro in exemplo partim faciles sunt, partim morbi thrombosin saepe sequentes. Ac primum quidem, quod attinet ad endometritidem diphteriticam perhorrendum hoc exemplum aegrotationum puerperalium una ex frequentissimis complicationibus thrombosis est puerperalis, ac maxima ex parte cum huius tabida putridine diversissimisque metastasibus in alia organa conspicitur. Frequentia autem et vehementia illa frigora, rapidus virium interitus, gravissima febris, quam in typhi tantum generibus gravissimis ac malignis invenimus, oedema genitalium eorumque putida effluentia, vagina crustis obducta certissimam febris puerperalis diagnosin reddunt. Neque maiorem difficultatem nostro exemplo offert lymphangitis, quae quidem putida diversarum glandularum ruina abscessuum, qui tabe exsucta e vasis lymphaticis orti sunt,

probari potuit. Num phlebitis in nostro casu post thrombosin exstiterit, iam difficilius est dictu; sed si coniicimus, thrombo iam ante formationem septicas admixtas fuisse substantias atque ita tabidam infiltrationem interioris venae cutis factam esse, secundum ruinam thrombi rapidam non tenere iudicatum esse videtur. Permutationes autem pulmonum eodem modo physicali investigatione facile demonstrandae erant.

Prognosis.

Iam inde ab primo initio prognosis utroque in casu fuit infausta, quia permagna anaemia, vires plane deficientes, puerperium modo sustentatum causae erant periculorum, quae tamen magis in morbis, qui praeterea adfuerunt, quam in thrombosi ipsa ponimus, quae per se nequaquam morbus est perniciosus, dummodo dextro quidem tempore circulatio sanguinis collateralis restituta sit. Qua in re solus respiciendus est usus membri affecti, qui nulla re alia quam circulatione, quam modo diximus, restitui potest. Maioris momenti iam illi sunt casus, in quibus frigora magna una cum tumoribus ostenduntur. Permultam habet difficultatem prognosis, si abscessus sive phlegmonae diffusae, sive excidium gangraenosum accedunt. Qua de causa prognosis E. puerperae infausta erat habenda, quum oedemate deminuto, erysipelas exortum esset gangraenosum. Longo morbo quum corpus iam confectum esset, eo tempore verisimile fuit, fore ut longa suppuratione, nulla accedente pneumonia, quae prognosin quoad

vitam prorsus fecit infaustam, corpus conficeretur.

Infaustissima prognosis fuit G. puerperae, cuius vitae morbi concomitantes et celeriter succedentes maximum attulerunt periculum. Huiusmodi casus numquam quidem sanari possunt ita ut e centum hominibus septuaginta morbo succumbant. Quo fortiora et longiora frigora, quo maior aestus et pulsus frequentia, eo infaustior prognosis; neque spes dubias licet habere, si morbo affaectae ad tempus reviviscere videntur. Frigora conquassantia illa ac fortia omnem sanationis spem ad nihilum redigunt; non solum diphteritica uteri affectione vires aegrotae ad modum conterebantur, sed etiam icterus, quem perniciossimam huius morbi complicationem Kiewisch*) esse dicat, acerrimus ortus est. Non minus infausta fuit prognosis cutis et glandularum abscessibus, qui hominem vivum ad cadaveris similitudinem redigunt. Illa quidem aegrota prognosin iam non admittentibus pulmonis oedematis symptomatibus diem supremum obiit.

Therapia.

Desideramus ad hunc diem specificum adversus thrombosin puerperalem remedium, quamquam complures autores modo huic modo illi remedio talem inesse vim arbitrabantur, iam vero proximo quidem casu errasse eos prorsus perspicuum fuit. Itaque

*) Kiewisch, Krankheiten der Wöchnerinnen.

fit ut quemadmodum in aliis multis morbis sic in hoc nulla alia sanandi sit ratio nisi symptomatica. Primum quidem oedema E. puerperae fomentis diligenter applicatis, ut membrum omnibus partibus aequaliter premeretur, haud malo eventu repulsum est. Praeterea ad dolores illarum partium, quas morbus afflixit, leniendos et cataplasmata et narcotica remedia optimo iure adhibentur. Febri, quo nullum symptoma periculosius est, magna chinii sulphurici copia data mederi conati sunt; nostro tempore, ut in aliis febribus frigus, corpore laxato aqua frigida haud frustra tentatum est. Ut autem alii puerperales morbi praecaveantur, prophylactice, quum in partu, tum in puerperio curandum est. Itaque prohibenda puerpera ne nimis mature e lecto surgat, ne labores suscipiat, ne frigori exponatur. Contra Septichaemiam in G. puerperae casu ob magnam anaemiam a detractionibus sanguinis, quibus antiphlogistice ageretur desistendum erat, ut nulla superesset ratio, nisi desinfectio substantiis adstringentibus, imprimis kalio hypermanganico vel kalio chlorico. Praeter hanc therapiam multa remedia proposita sunt; sed mercurialia quibus olim in liquefacto thrombo saepe utebantur itemque vesicatoria imposita, quae a nonnullis scriptoribus valde commendata sunt, nostro tempore a Scanzoni et Kiewisch iure repudiantur. Meliorem eventum habent balneae calidae praecipue a Kiewisch celebratae valdeque commendandae. Si respicimus victum cibi praebendi sunt faciles concoctu, in

quibus multum inest roboris; bibatur refrigerata posca, quae etiam nostro in casu data est: mixt. acid. sulph., denique in ultimo stadio reccurrendum est ad excitantia remedia, quae tamen plerisque ia casibus iam non habent successum faustum.

VITA.

Natus sum Augustus Antonius Harwart in oppido Frauenburgensi d. XX. m. Nov. anno h. s. XLI patre Antonio matre Elisabeth e gente Grunwald, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror parentes. Fidem profiteor catholicam. Literarum elementis primis imbutus gymnasium adii Brunsbergense, quod sex per annos frequentavi, deinde Hohensteinense, quod Max. Töppen directoris auspiciis adhuc floret. Testimonio maturitatis instructus Regimontium me contuli, unde peracto uno semestri Gryphiam hanc almam petii universitatem, ubi ab Rect. Magn. Vogt in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Bardeleben medicorum ordini adscriptus sum.

Per novem semestria disserentes audivi hosce:

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia; idem dux mihi fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico nec minus in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia, de anatomia singulorum capitis nervorum, de encyclopaedia et methodologia, de physiologia experimentali; idem mihi dux fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi et microscopio utendi.

Ill. Burdach: de osteologia et syndesmologia.

Ill. de Feilitsch: de physice experimentali.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali et speciali; idem mihi dux fuit in exercitationibus pathologicis anatomicis microscopicis.

Exp. Haeckermann: de politia medica, medicina forensi.

Exp. Heineke: de morbis cutis, de syphilide, de anatomia chirurgica, de fracturis et luxationibus.

Exp. Jessen: de botanice.

Ill. Laurer: de pharmacologia generali, de pharmacologia speciali, de arte formulas medicaminum rite concinandi, de arte fascias rite alligandi.

Ill. Moser: de magnetismo et galvanismo.

Ill. Mosler: de pathologia et therapia speciali, de auscultatione et percussione de psychiatria; idem mihi dux fuit in clinico medico.

Exp. Landois: de corporis humani evolutionis historia.

Ill. Pernice: de arte obstetricia, de morbis neonatorum, de morbis mulierum; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Rühle: de pathologia et therapia speciali.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice, de arte speculo ad perscrutandum oculum bene utendi; idem mihi dux fuit in exercitationibus oculorum affectionis diagnoscendi.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia, de anatomia et physiologia comparata.

Ill. Limpricht: de chemia organica et anorganica.

Ill. Münter: de zoologia.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas.